

seu imputentur. In secunda, explicat quid sit res, et quid Sacramentum in pœnitentia.

Circa primum, duas affert sententias, alteram affirmantem, aliam negantem, quas arbitrio lectorum reliquit. Prima affirmans redire peccata dimissa nititur auctoritatibus Ambrosii, Gregorii, et Augustini, qui id videntur expresse dicere exemplo illius parabolæ de servo nequam a quo Dominus repetiit omne debitum, quod dimiserat. Et ita dicit Gregorius. Si ex toto corde non dimittimus, quod in nos delinquitur, et hoc rursus exigitur quod jam nobis per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Et Augustinus: « Redire dimissa peccata ubi fraterna charitas non est, apertissime docet in evangelio Dominus in illo servo a quo dimissum Dominus debitum petiit, etc. » Idem ex Rabano, et Beda docet. Et cum opponitur, quia non est justum, quod repetatur id quod jam est donatum: et illud, quia non punit Deus bis in idipsum seu non consurget duplex tribulatio, respondetur, hoc intelligi de eo, qui integre satisfacit, sed qui non perseverat, sed iterum redit ad peccatum, plenarie non satisfacit, et sic non punit Deus bis, sed idem non perfecte punitum. Secunda opinio negat redire peccata ob argumentum nuper allatum: explicat autem redire peccata remissa non in se, quia non efficitur reus illorum peccatorum, sed in suo simili, quia per ingratitudinem aggravatur sequens peccatum perinde ac si dimissum rediret.

Circa secundum, docet aliquos affirmare, quod Sacramentum tantum in pœnitentia est exterior, et sensibilis pœnitentia quæ est signum interioris. Sed obstat, quia pœnitentia interior est causa exterioris non e contra, et sic Sacramentum non causaret, quod significat.

Item, quia interior pœnitentia præcedit exteriorem, et sic non præcederet Sacramentum, ipsam rem Sacramenti, sed e contra. Sed dicunt ad primum, quod pœnitentia fuit etiam ante Sacramenta novæ legis sicut matrimonium, et in illis non requiritur, quod Sacramenta efficiant, quod figurant. Ad secundum vero non esse inconueniens quod res præcedat Sacramentum, sicut aliquando habetur gratia ante baptismum. Alii dicunt interiorem, et exteriorem pœnitentiam unum tantum esse Sacramentum, ita quod Sacramentum tantum, sit visibilis pœnitentia seu exterior peccati confessio: res et Sacramentum sit pœnitentia interior: res tantum sit gratia seu remissio peccatorum, quia exterior est interioris signum, interior autem significatum ejus, et ulterius gratia signum.

Circa hanc distinctionem, inquit primo S. Thomas, utrum peccata remissa redeant, de quo 3 p. qu. xxviii, art. iv. Secundo, utrum per ingratitudinem redeant peccata venialia, de quo ibidem art. ii ad ii. Et utrum recidivans teneatur confiteri peccata remissa, de quo hic q. i, art. iv. Tertio, quærit quidnam sit Sacramentum tantum, res et Sacramentum, et an sit unum Sacramentum, de quo hic q. ii, art. i et ii.

DISTINCTIO XXIII.

Post expeditum totum tractatum de pœnitentia, agit Magister in hac distinctione de Sacramento extremæ unctionis. Et dividitur in duas partes. In prima, tractat de ipso Sacramento secundum se, et institutione ejus. In secunda, de ejus usu.

Circa primum, prius distinguit tria genera unctionum, scilicet chrismatis ex oleo, et balsamo in

confirmatione, unctio cathecumenorum, et baptizatorum, et unctio infirmorum quæ est extrema. Deinde, agit de institutione hujus Sacramenti promulgata a Jacobo illis verbis: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Unde institutum est hoc Sacramentum ad remissionem peccatorum, et ad alleviationem corporalem si expedit infirmo. Distinguitur in eo Sacramentum et res, quia Sacramentum est unctio exterior, res autem unctio interior in remissione peccatorum, et ampliacione virtutum.

Circa secundum, inquit an hoc Sacramentum iterari possit. Videtur enim injuria fieri Sacramento si iteretur, ut dicit Augustinus, sed ibi loquitur de baptismo et ordine. Hoc autem Sacramentum non potest iterari in eadem infirmitate, bene tamen in eodem infirmo, si iterum infirmetur. Iteratur eucharistia, et pœnitentia, et matrimonium. Alii dicunt omnia Sacramenta secundum aliquid non iterari, quia idem panis iterum non benedicitur, idem oleum iterum non consecratur, iidem conjuges iterum non benedicuntur, neque contrahunt. Et hoc modo etiam fit injuria Sacramento iterando illud quantum ad novam ejusdem consecrationem, non autem quoad susceptionem novi Sacramenti.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an sit Sacramentum, et an sit unum extrema unctio, de quo hic quæstio. i, a. i. Secundo, inquit quis sit proprius effectus ejus, de quo art. ii. Tertio, quæ sit materia, et forma, art. iii et iv. Quarto, a quo, et quibus debeat conferri, de quo hic q. ii, ar. i et ii. Quinto, quæ partes corporis sint

inungendæ, art. iii, denique, an possit iterari, art. iv.

DISTINCTIO XXIV.

Sextum Sacramentum est Sacramentum ordinis, de quo agit duabus distinctionibus. In præsentia distinguit omnes. In sequenti agit de conferentibus, et suscipientibus hoc Sacramentum.

Præsens ergo distinctio dividitur in duas partes. In prima, agit de septem ordinibus, qui pertinent ad Sacramentum ordinis, ex quibus colligit de quo ordine hic loquitur. In secunda, agit de episcopatu, ejusque divisione.

Circa primum, docet septem esse ordines in Ecclesia, juxta septiformem Spiritus Sancti gratiam et ministerium, cujus qui non sunt participes, ad gradus ecclesiasticos indigne accedunt, oportet enim tales ad ministerium spirituale eligere, qui digne possint Sacramenta Dominica tractare, et tali gratia sint præditi, quod possint eam in alios ministrare.

Sunt ergo isti gradus seu ordines septem, scilicet, ostiarii, lectores, exorcistæ, acolythi, subdiaconi, diaconi, sacerdotes, et omnes vocantur clerici, id est, sortiti, seu sorte electi, et decorantur corona in signum regalis ministerii, quia servire Deo regnare est. Ostiarii, sunt qui ostio Ecclesiæ præsumt ad custodienda quæ intus sunt, et ad rejiciendum indignos et admittendum dignos. Lectores sunt, qui ex officio legunt populis in ecclesia prophetias, et lectiones. Exorcistæ, id est, adjurantes, qui habent potestatem exorcizandi energumenos, et cathecumenos et expellendi ab eis spiritus immundos. Acolythi, id est, ceroferarii habent portare lumina quando evangelium est cantandum, vel sa-

crificium offerendum, similiter urceolum cum vino, et aqua pro eucharistia subdiaconis præparant. Subdiaconi, id est, diaconis subiacentes sunt; qui ministrant diaconis in officio suo, portant vasa sacra, calicem et patenam, et levitis tradunt, urceolumque cum aqua manili, et manutergio pro episcopo, vel presbytero deferunt, et quia vasa sacra tangunt eis continentiae lex imponitur.

Diaconi seu levitæ, qui levitis veteris legis correspondent in ministrando ad altare, pertinetque ad ipsos ministrare sacerdoti in Sacramentis baptismi, et eucharistiæ prædicare populo evangelium, ideoque in sua ordinatione accipiunt librum evangeliorum de manu episcopi, et orarium seu stolam in levagant. Presbyteri, qui et sacerdotes, id est, sacra dantes sunt, qui Sacramenta conficiunt, eucharistiam, pœnitentiam, etc. licet ad pontificatus apicem non attingant, ideoque illis inunguntur manus, ut sciant munus consecrandi se accipere, et calicem cum vino, et patenam cum hostia tamquam materiam sacrificii. Præcipue autem in primitiva Ecclesia fit mentio presbyterorum, et diaconorum, reliquorum non ita, sed in processu temporis magis innotuerunt in ecclesia. Ex his colligit, quid sit quod hic vocatur ordo, scilicet signaculum seu Sacramentum, quo traditur ordinatis spiritalis potestas, et officium.

Circa secundum, docet episcopi nomen esse dignitatis significans *superintendentem* seu speculatorem, quia subditorum mores vitamque speculatur. Et est ordo episcoporum quadripartitus, alii enim sunt patriarchæ, alii archiepiscopi, alii metropolitæ, alii episcopi. Patriarchæ dicuntur, quasi summi patrum, eo quod locum aliquem apostolicum tenent ut Antiochenus,

Alexandrinus, Hierosolymitanus, et summus omnium Romanus archiepiscopus princeps episcoporum. Primates metropolitæ, qui singulis provinciis præeminent, et nunc archiepiscopi vocantur. Episcopi qui singulis diœcesibus.

Circa hanc distinctionem, inquit primo D. Thomas, an ordo sit Sacramentum, quæ sit ejus materia, de quo hic q. 1. art. 1. Secundo, de effectu ejus, an det gratiam; an characterem imprimat; an diversum vel eundem sub majori extensione, et utrum character unius ordinis supponat alium, de quo hic ar. 11. Tertio, an recte ordines septem distinguantur, et sint unum Sacramentum, de quo hic q. 11, ar. 1. Quarto, quando imprimatur character in singulis ordinibus præsertim in sacerdotio, de quo ibi ar. 111. Quinto, an episcopatus sit ordo, et sit Sacramentum, de quo ibi q. 111, a. 11.

DISTINCTIO XXV.

Ostenso, quid sit Sacramentum ordinis, in præsentī distinctione agit de conferentibus, et suscipientibus hoc Sacramentum. Et dividitur in duas partes. In prima, agit de conferentibus ordines an hæretici, et simoniaci possint illos conferre. In secunda, de suscipientibus in qua ætate debeant ordinari.

Circa primum, duas refert sententias. Quidam negant ab hæreticis vere posse ordines conferri, licet baptismum dare possint. Quod deducunt ex auctoritatibus sanctorum, ut Innocentii, Gregorii, Cypriani et Hieronymi, qui hæreticorum ordinationes dicunt non esse recipiendas, et non posse hæreticos dare Spiritum Sanctum, quem amiserunt, et eorum sacerdotia esse falsa, et sacrificia sacrilega, et quod omnia

quæ offeruntur ab hæreticis contaminata sunt apud Deum. Et denique Leo Papa dicit, extra Ecclesiam catholicam, nec rata esse sacerdotia, nec vera sacrificia. Alii affirmant vere, et valide ordinari posse sacerdotes ab hæreticis, sicut et baptismum conferri. Quod ex Augustino probant dicente libro secundo contra epistolam Parmeniani, c. xxiii, quod hæretici correcto errore venientes, si quando visum est ut eadem officia gererent quæ agebant, non sunt rursus ordinandi, sed sicut baptismus in eis, ita et ordinatio mansit integra. Et aliis in locis idem docet Augustinus, quod licet hæretici illicite dent ordinationem seu Sacramenta, non tamen invalide, exemplo sumpto a baptismo, qui valide datur ab hæretici.

Circa has opiniones, illam acceptat Magister, quæ docet hæreticos etiam ab Ecclesia præcisos si ordinent servando formam Ecclesiæ, valide ordinare, sed illicite et sacrilege; et hoc sensu loquuntur patres, qui ordinationes illas ut malas execrantur. Si autem debitam formam non servent, invalide ordinant, et hac ratione aliqui ab hæreticis sic ordinati non recipiuntur ab Ecclesia. De simoniaciis vero, quos etiam hæreticos appellat idem docet, quod ante sententiam degradationis valide ordinant et consecrant. Et qui scienter a simoniaciis se ordinari permittit, ejus consecratio, vel potius execratio irrita est; qui vero ignoranter, ejus consecratio misericorditer susinetur. Et juxta decretum Nicolai Papæ triplex est simoniacorum distinctio. Alii a simoniaciis simoniace ordinati sunt; alii simoniace quidem, sed a non simoniaciis; alii a simoniaciis, sed non simoniace. Primi et secundi a gradu suo subjiuntur; tertii in suo officio tolerantur.

Circa secundum, docet ex decreto Nicolai Papæ subdiaconum non ordinari ante viginti quatuor annos, diaconum non ante viginti quinque, nec presbyterum ante triginta. Idem de presbyteris Bonifacius Papa.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an solus episcopus Sacramentum ordinis conferat, et utrum omnis episcopus etiam hæreticus et præscisus, de quo hic q. 1. Secundo, inquit de impedimentis recipiendi ordines, ut sexus femineus, ætas puerilis, servitus, homicidium, membrorum defectus, de quo hic quæst. 11. Tertio, inquit de simonia quid sit et quam pœnam incurrat, de quo etiam 2-2 qu. c, art. 1 et vi. Quarto, an Sacramenta possint aliquo casu vendi; an beneficia; an alia spiritalia vel spiritalibus annexa, de quibus 2-2 qu. c, art. 11 et 111 et 114. Denique, de divisione simoniæ, quotuplex sit, de quo q. c, cit. art. v.

DISTINCTIO XXVI.

Ab hac distinctione agit de ultimo Sacramento, quod est matrimonium per decem distinctiones. Et totus tractatus dividitur in tres principales partes. Primo enim, agit de matrimonio secundum se in hac distinctione xxvi. Secundo, de causis matrimonii, tam efficienti scilicet consensu, et ejus opposito quod est coactio, quam de finali quod est procreatio prolis seu redditio debiti, et causis honestantibus illud tam nunc quam in antiquis patribus usque ad distinctionem xxxiv. Tertio, de personis habilibus ad matrimonium, seu de impedimentis inhabilitantibus personas usque ad distinctionem xlii. Igitur in præsentī distinctione agit de matrimonio secundum se. Et dividitur in tres partes. In prima, ostendit

institutionem matrimonii qualis fuerit. Secundo, excludit errorem quorundam hæreticorum. Tertio, ostendit quam significationem habet Sacramentum matrimonii.

Circa primum, docet institutum quidem fuisse conjugium ante peccatum cum dixit Adam. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem; et adhærebit uxori suæ, post peccatum etiam conjugium institutum est, quia etiam dictum est homini: Crescite, et multiplicamini, etc. post diluuium. Prima institutio fuit in officium naturæ, ubi esset thorus immaculatus, et conceptio sine libidine, et partus sine dolore. Secunda in remedium concupiscentiæ, cum dicat Apostolus propter vitandam fornicationem indultum esse conjugium. Et ita prima institutio habuit præceptum, secunda indulgentiam, quia non ut melius consulitur, sed ut remedium conceditur.

Dici etiam potest præceptum illud: *Crescite, et multiplicamini*, tam ante peccatum, quam post durasse usquequo multiplicatum est genus humanum, exinde cessasse, et secundum indulgentiam concedi, dicitur enim indulgentia aliquando concessio, aliquando remissio, aliquando præmissio, quæ circa minora bona datur, et sic habet conjugium utpote minus bonum.

Circa secundum, quidam hæretici Tatiani dicti damnabant nuptias, paresque fornicationi faciebant. Sed constat nuptias esse bonas, tum quia institutæ a Deo in paradiso, tum quia a Christo approbatæ cum affuit nuptiis, et cum prohibuit uxorem dimitti, tum quia dicit Apostolus: *Virgo non peccat si nubat*; constat etiam matrimonium esse Sacramentum.

Circa tertium, docet matrimonium specialiter repræsentare conjunctionem Christi, et Ecclesiæ juxta

illud Apostoli: *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia*. Est enim duplex conjunctio Christi ad Ecclesiam, altera pure spiritualis per charitatem, altera etiam corporalis per assumptionem ejusdem naturæ, quam repræsentat duplex conjugum conjunctio, altera per consensum in corde, altera per commixtionem in corpore.

Juxta quod intelligitur, quod aliqui sancti dicunt ut Augustinus, et Leo Papa non pertinere ad matrimonium mulierem, quæ commixtionem sexuum non patitur, non quia verum matrimonium non sit sine copula, ut fuit inter Beatam Virginem, et Joseph, sed quia non exprimit omni modo conjunctionem Christi, et Ecclesiæ seu humanæ naturæ sed solum priori modo, id est, quoad charitatem. Denique, matrimonium significat conjugum vinculum, et amorem inter se, juxta quod dicit Apostolus: *Viri diligite uxores vestras*.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an matrimonium sit de jure naturali, et modo etiam sit sub præcepto, de quo hic quæst. I, art. I et II. Secundo, an actus ejus sit licitus et meritorius, de quo ibi, ar. III et IV. Tertio, an matrimonium sit Sacramentum, et an conferat gratiam, et quando fuerit institutum, de quo ibi, qu. II art. I, II et III. Denique, an commixtio carnalis sit de integritate matrimonii, de quo ibi ar.

DISTINCTIO XXVII.

Ab hac distinctione incipit agere de causis matrimonii. Et primo, occurrit causa efficiens quæ est consensus, de quo agit per quatuor distinctiones. Primo, de consensu secundum se, an sit causa efficiens. Secundo,

qualis esse debeat ut sit efficiens matrimonium. Tertio, de opposito ejus, scilicet de coactione, et quarto, de consensu per errorem, et in fine hujus distinctionis, scilicet xxx, agit de causa finali matrimonii.

In præsentem ergo distinctionem tria facit. Primo, tractat quomodo consensus efficiat matrimonium. Secundo, quando incipiat conjugium, disquirat. Tertio, determinat seu respondet in contrarium adductis.

Circa primum, supponit definitionem matrimonii, quod est viri ac mulieris conjunctio maritalis inter legitimis personas individuam vitæ consuetudinem retinens. Ad quam consuetudinem pertinet, ut neuter sine alterius consensu possit profiteri continentiam, et quod alteri non possint se copulare dum vivunt sibi invicem debitum reddant.

Causa autem hujus matrimonii efficiens est consensus expressus per verba de præsentem: nam verba de futuro promissionem faciunt non matrimonium, et si non exprimitur verbis, licet mens consentiat, nihil efficitur. Ipso autem consensu matrimonium fieri probat auctoritate Isidori, Nicolai Papæ, Chrysostomi, et Ambrosii, qui id aperte dicunt.

Circa secundum, inquit an conjugium debeat dici ex quo fit pactum inter virum, et mulierem, an ex quo fit copula. Nam ex una parte aliqui simpliciter dicunt conjugium vere esse, et conjuges dici ex quo per verba de præsentem firmatur consensus, ut auctoritate Ambrosii, Isidori, et Agustini probatur, et exemplo Beatæ Virginis, et Joseph, inter quos verum fuit conjugium et non commixtio.

Ex alia vero parte alii distinguunt inter desponsationem, et conjugium et dicunt appellari quidem sponsos ex quo per consensum paciscuntur, conjuges vero non nisi postquam co-

pulantur, et nituntur eo fundamento quia dum sunt sponsi possunt pro sua voluntate monasterium ingredi, dum vero conjugati sunt, non possunt sine mutuo consensu profiteri continentiam, ut patet ex jure, nam in capite: Decretum xxvii, quæstione II, aperte dicitur desponsatam posse ad monasterium converti si voluerit; at vero in capite: Sunt qui dicunt, et in capite: Agathosa. Idem decernitur non posse religionis intuitu conjugia dissolvi, et alii etiam multis textibus ibidem hoc dicitur: ergo conjuges non dicuntur nisi post copulam matrimonialem. Si quando vero sponsa a die præstiti consensus, appellantur sponsi id intelligitur non quia adhuc sint, sed quia dominantur sic, ab eo quod futuri sunt, tunc autem conjuges sunt cum copulantur.

Circa verum respondet. Magister, quod aliquando sponsus, et sponsa dicuntur, qui tantum per verba de futuro contrahunt promittendo: aliquando qui per verba de præsentem, et tales statim a consensu præstito etiam non interveniente copula conjuges dicuntur, tum quia ut dicit Gregorius in capite: Qui desponsatam: ubi supra aliquando sponsæ vocantur conjuges, etiam ante copulam, ut est illud: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, tum quia si copula non intervenerit manet contracta affinitas, ita ut illa relicta non possit duci a consanguineis viri defuncti, ut decernitur in capite: Si quis uxorem, et in capite: Si quis desponsaverit ubi supra, ergo ante copulam datur verum conjugium.

Quod vero etiam quæ desponsata est per verba de futuro sponsa appelletur constat ex multis juribus eodem cap. xxvii, quæst. II, capite: Si quis sponsam, et capite: Quidam desponsavit. Unde si quis sponsam per verba tantum de futuro pactam

mortuo viro duxerit non est bigamus nec prohibetur ad sacros ordines admitti, bene tamen si consensus de præsenti intercessisset, ut constat ex decreto Pelagii Papæ, xxxiv distinctione, cap. finali.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an matrimonium recte definiatur. Item an possit solvi per religionis ingressum, de quo hic quæst. i, ar. i et iii. Secundo, an consensus sit causa matrimonii, de quo ar. ii. Tertio, de sponsalibus, quid sint et quo tempore contrahi possint, et an dissolvantur per ingressum religionis, de quo quæst. ii. Quarto, de bigamia, an inducat irregularitatem, et an possit dispensari in illa, de quo q. iii.

DISTINCTIO XXVIII.

Explicato in præcedenti distinctione, quomodo consensus sit causa efficiens matrimonii, explicat Magister in hac distinctione, qualis consensus esse debeat. Et facit duo. Primo, an consensus de futuro si firmetur juramento faciat conjugium. Secundo, in quid feratur ille consensus de præsenti, qui matrimonium facit.

Circa primum, respondet Magister negative, eo quod juramentum additum promissioni de futuro firmat quidem promissionem, ita ut si non impleatur, perjurium sit, non tamen rem quam promittit facit, et tradit de præsenti, quod requiritur ad matrimonium, et ita si post juramentum de facto ducat aliam, hoc secundum valebit.

Nec obstat quod dicitur in jure quod si quis juraverit tactis sanctis Scripturis se habiturum aliquam in uxorem, sit ei legitima uxor etiam sine dote. Nam hic solum dicitur, quod fieri debeat, non quod de fac-

to sit, vel quod sine consensu de præsenti fiat. Similiter quod jura tradunt in capite: Aliter legitimum xxx, quæst. v, non esse conjugia, sed adulteria, quæ sine voluntate parentum, et benedictione sacerdotis, et constitutione dotis fiunt, intelligitur requiri ista non ad substantiam matrimonii, sed ad decorem et honestatem. Requiritur etiam voluntas publice expressa, quod iudicium Ecclesiæ de matrimonio, quoad substantiam tamen conjugii sufficit consensus de præsenti etiam in occulto. Hodie tamen post concilium Tridentinum, est nullum si sine testibus, et parochio fiat.

Circa secundum, inquit an consensus matrimonialis sit in copulam, vel in cohabitationem, an utriusque. Respondetur, non esse in copulam, ut patet in matrimonio Beatæ Virginis, quæ intendebat servare virginitatem: nec in solam cohabitationem, cum etiam soror, et frater cohabitare possint, sed est consensus in societatem conjugalem ex qua deinde sequi potest cohabitatio et copula, nisi causa religionis ex consensu separentur.

Circa hanc distinctionem, inquit primo D. Thomas, an juramentum additum sponsalibus, vel etiam copula subsequuta faciat matrimonium, de quo hic q. i, art. i et ii. Secundo, inquit an matrimonium clandestinum sit validum, de quo ar. iii. Tertio, in quid tendat consensus matrimonialis, de quo artic. iv. Videantur additiones ad iii part. quæst. XLV, et ibi auctores.

DISTINCTIO XXIX.

Explicato consensu efficiente matrimonium, agit in hac et sequentibus distinctionibus de consensu nullo, et invalido, in præsenti quidem de consensu nullo ratione coac-

tionis, in sequenti ratione erroris. Et breviter agit duo. Primo, ostendit consensum coactum non valere nisi postea libere detur. Secundo, quomodo intelligendus sit aliquis consentire.

Circa primum, docet consensum conjugalem debere esse liberum, et sine coactione, ut manifeste jura determinant, et habetur ex decreto Urbani Papæ II, in capite: De neptis suæ. Et in capite: Si verum xxxi, quæstione ii. Verum si postea aliquo spatio temporis libere sine contradictione cohabitaverint habita facultate discedendi vel reclamandi, sequens consensus liber supplet præcedentem coactionem,

Circa secundum, docet secundum jura filiam consentire quæ evidenter non dissentit, nec repugnat patris voluntati, et eorundem consensus requiritur pro sponsalibus, quorum requiritur pro nuptiis.

Circa hanc distinctionem primo inquit D. Thomas, an consensus, possit esse coactus, seu utrum voluntas possit cogi, de quo agit 1-2 quæst. vi, de voluntario. Secundo, quærit an metus cadat in virum constantem, et quis ille sit, de quo hic quæst. i, art. ii. Tertio, an matrimonium tollatur per consensum coactum, de quo hic art. iii.

DISTINCTIO XXX.

Agit de consensu dato per errorem. Et facit tria. Primo, ostendit errorem in consensu nullum reddere matrimonium. Secundo, agit de conjugio Beatæ Virginis, et Joseph. Tertio, de causa finali matrimonii.

Circa primum, distinguit de duplici errore, alius circa personam, vel conditionem servitutis, alius circa qualitatem seu fortunam puta circa nobilitatem, divitias, etc. Primus error excludit matrimonium,

quia tollit substantiam ejus, unam personam pro alia ponendo qui non consentit, etsi servitute tenetur; ignorantia hujus irritat matrimonium ut postea dicitur.

Error autem circa accidentia non mutat conjugium, ut si putat esse divitem vel virginem, et non est. Quod vero Jacob duxerit Liam quæ pro Rachele supposita fuit, error ille etiam substantialis fuit, sed subsequente consensu illud matrimonium ratum fuit, excusatus vero fuit Jacob quia inscius fuit erroris, et Lia fortassis, quia patris præcepto credidit se posse obedire in hoc, totumque illud mysterio factum fuit.

Circa secundum, docet verum fuisse conjugium inter Beatam Virginem, et Joseph, et perfectum. Verum quidem, quia fuit verus consensus in maritalem societatem, et si non in executionem copulæ, nisi aliter Deus disponderet, quia proposuerat Beata Virgo servare virginitatem, ut ait Augustinus, sed ore non expresserat, postea vero simul cum viro, labiis expressit. Perfectum autem fuit illud conjugium, tum sanctitate continentium, tum fecunditate conjugii, et bonis matrimonii, quæ sunt fides, proles, Sacramentum, fides quia nullum adulterium, proles ipse Dominus Jesus, Sacramentum quia nullum divortium, solusque defuit concubitus, sine quo etiam stat conjugium mente non carne.

Circa tertium, docet finalem causam primariam matrimonii esse procreationem prolis, sicut Genes. i dicitur: *Crescite, et multiplicamini, etc.* Secunda, post statum peccati est vitatio fornicationis juxta Apostolum dicentem: *Propter fornicationem unusquisque uxorem habeat.* Aliæ causæ adjungi solent ut inimicorum reconciliatio, pacis reintegratio; aliæ minus honestæ, ut fructio pulchræ uxoris, quæstus divitiarum.

rum, et quæ tamen non annullant matrimonium, si cum veto consensu contrahatur, ut patet in Jacob, et Rachel; finis enim pravus, Sacramentum non vitiat dum formam et materiam non tollat.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an error irritet matrimonium, et qualis error, de quo hic qu. i, art. i et ii. Secundo, utrum ex causa inhonesta possit verum matrimonium fieri, de quo ibi art. iii. Tertio, an matrimonium B. Virginis verum fuerit et perfectum, de quo in p. q. xxix, art. i et ii.

DISTINCTIO XXXI.

Explicatis causis efficienti, et finali matrimonii, agit tribus sequentibus distinctionibus de his quæ pertinent ad usum matrimonii, causisque honestantibus ipsum, et quomodo leges conjugii servabantur apud antiquos patres. Atque ita in hac distinctione agit de causis honestantibus actum matrimonii, in sequenti de ipsa debiti solutione, in alia de legibus conjugii apud antiquos.

In præsentem ergo tria facit. Primo, enumerat bona honestantia conjugium, eaque explicat. Secundo, duas difficultates circa bonum proles, et usum matrimonii non ex intentione procreandi. Tertio, ostendit non omnem copulam carnalem esse peccatum.

Circa primum, bona conjugii tria principaliter numerantur ex Augustino; scilicet fides, proles, Sacramentum; fides ne detur adulterium, proles ut religiose educetur, Sacramentum seu vinculum, ne separetur. Et licet corporaliter valeant separari causa fornicationis, vel ingressus religionis ex pari consensu, tamen sacramentale vinculum

separari non potest vivente utroque conjugio.

Aliquando tamen contrahitur conjugium ubi non hæc omnia bona inveniuntur, ut si sit adulterium, deest fides, nec tamen vinculum Sacramenti solvitur. Similiter in prole non omnes bonum quærunt, id est, ut religiose educetur, sed propter hæreditatem terrenam; si vero inter legitimas personas non contrahitur conjugium, nec etiam vinculum Sacramenti est, ut si ad tempus, et non in perpetuum contractum celebrent. Quod si proles generationem impedire dolo malo procurent, ut verbi gratia, venena sterilitatis potius fornicarii, quam conjuges dicendi sunt, secundum Augustinum.

Circa secundum, est prima difficultas de his qui abortum procurrant, quando censentur homicidæ. Respondetur, tunc esse homicidæ, quando formatus et animatus est foetus, quod non est statim ac fluunt semina, sed post aliquot dies cum corpus est compaginatum, quod ex Augustino et Hieronymo docet. Secunda difficultas, an usus matrimonii causa concupiscentiæ faciendæ sit aliquod peccatum. Respondetur secundum Augustinum et Hieronymum habere culpam, sed venialem, quia non fit causa proles, sed ultra necessitatem generationis.

Quod si ex Apostolo dicatur, quod etiam ipse concubitus causa proles secundum indulgentiam permittitur, i. Corinth. vii, ergo habet peccatum, si ei datur indulgentia. Respondetur indulgentiam illam respectu concubitus nuptialis, id est, causa proles, esse secundum indulgentiam sumendo indulgentiam pro concessione, respectu vero concubitus ultra necessitatem, esse indulgentiam permissionis, et veniæ, ignoscitur tamen propter matrimonium. Nam ut inquit Augustinus:

« Et in hoc laudabiles sunt nuptiæ, quia illud quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se. »

Circa tertium, dicere potest aliquis omnem commixtionem carnalem esse peccatum, quia inordinata est, et ex peccato. Sed tamen dicitur esse ex peccato quantum ad fœditatem illam quasi pœna et affectus peccati, non quia in se peccatum sit, cum non omnis delectatio mala sit. Quando autem D. Gregorius etiam in concubitu uxoris dicit voluptatem sine culpa non esse, et sic non debere Ecclesiam illum intrare nisi aqua lotum, loquitur de concubitu, non causa proles, sed causa voluptatis, et quando voluptas dominatur in opere, nam de aliis dicit suo iudicio esse relinquendos.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an requirantur aliqua bona ad honestandum matrimonium, et quæ illa sint, et quodnam principaliter, de quo agit hic quæst. i. Secundo, inquit utrum excusari possit actus matrimonii sine illis tribus bonis, et an sit peccatum mortale, vel veniale sine illis, uti matrimonio, de quo agit qu. ii, hic.

DISTINCTIO XXXII.

Sequitur in hac distinctione agere de solutione debiti conjugalis. Et circa hoc tria facit. Primo, ostendit qualiter obliget hoc debitum. Secundo, quando abstinendum sit vel non. Tertio, quibus temporibus prohibentur celebrari nuptiæ.

Circa primum, docet virum, et mulierem pari modo ad hoc debitum conjugale teneri juxta Apostoli præceptum: *Vir debitum uxori reddat, similiter et uxor viro, quia mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir; similiter et vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier.* Atque ita in hoc pares sunt, nec so-

lum procreandorum liberorum causa sed propter infirmitatem ad illicitos concubitus devitandos debitum reddendum est, sicque reddere debitum nullius est criminis, licet ultra generandi necessitatem exigere, venialis sit culpæ.

Unde neuter conjux continentiam vovere potest sine alterius consensu, ut pluribus auctoritatibus Augustinus demonstrat. Si vero semel vir permiserit uxori continentiam numquid poterit revocare? Quidam affirmant posse, quamdiu mulier non discedit a domo viri. Melius tamen dicitur id posse revocare ante votum, sed si votum emiserit mulier, et habitum mutaverit, non posse, juxta illud: Qui uxorem suam velare permiserit, aliam non accipiat, sed similiter convertatur, cap. Qui uxorem, xxxv, quæstione v.

Circa secundum, docet omni tempore reddendum esse debitum poscenti: sed non omni tempore debere posci. Nam jejuniorum dies, et festi dies, et processionis ab Augustino, et Ambrosio, excipiuntur. Hieronymus autem etiam de eis, qui debitum reddunt dicit, non posse vacare orationi, nec Agni carnes comedere qui uxori debitum reddit, sicut nec panes propositionis edebant, qui tetigerant uxores suas, quanto magis panem, qui de cælo descendit. Sed loqui videtur Hieronymus, maxime de ministris Ecclesiæ, quibus non liceat Sacramenta offerre, cum complexibus uxoris vacabant.

Circa tertium, tempora celebrationis nuptiarum ex decreto antiquo Nicolai Papæ refert, quod ab adventu Domini usque ad epiphaniam, et a septuagesima usque ad octavam paschæ, et tribus hebdomadibus ante festum Sancti Joannis, non licet nuptias celebrare. Nunc ex Concilio Tridentino magis restricta sunt illa tempora.